

16272.
DE
VARIOLIS MODIFICATIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE AMPLISSIMI
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR,

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR.

AUGUSTUS EDUARDUS MEYER,
LIVONUS.

BIBLIOTH.
ACADEM.
DORPAT.

DORPATI LIVONORUM,

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCGCCXXVII.

Imprimatur,
ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit
haec dissertatio, septem exemplaria collegio, cui censu-
ra librorum mandata est, tradantur.

Dorpti Livonor. d. ii. Mens, Febr, MDCCCXXVII.

Dr. J. C. M o i e r.
h. t. Decanus.

Fratri carissimo

Frieder. Ferdinando Meyer,
ministro verbi divini ecclesiae Carolensia.

D. D. D.

D 175

P r a e f a m e n .

Miraris forsitan, Lector benevole, rem literatissimorum virorum diligenti cura dignissimam, nunc mearum animadversionum adcessionem oneratam in lucem prodire. Verum, ne tempora tua morer, veram et unicam hujus a me suscepti rationem reddam.

Quodsi enim omnino cum difficultatibus haud exiguis conflictandum est ei, qui prima ingenii sui specimina editurus, e vasto medicinae campo thema elaborandum sumere velit, ita quidem, ut aequitate atque indulgentia confidere liceat eorum, qui haec qualiacunque legerint atque examinerint: quid, quum res ita sese habeat, obstare possit, quo minus, quae neque ab eruditione neque ab experientiae modulo sint aliena, describenda eligam, — quippe quem in aliis artis medendi materiis observationes sufficientes deficiant? Scilicet,

D 17566

quo tempore aegrotos observandos tractandosque suscipiebam in Nosocomio Universitatis imperialis nostrae, saepissime mihi Variolas modificatas observandi obvenit occasio, quo factum ut animum meum ad eum potissimum, de quo hae paginae loquuntur, adverterem morbum explorandum. Tantam autem, — cum inter annum praeterlapsum hujus generis aegri frequentiores essent, quorum etiam in hac dissertatione mentio fiet, — animi intensionem excitabant Varioloides, ut multum temporis et studii non haesitarem in morbo observando et perscrutando consumere, quod me non fugiebat, crassis admodum, quas dissipare futuris saeculis reservatum esse videatur, tegitur tenebris. —

Te vero, Lector benevole, cujus examini has studiorum primitias subjicio, etiam atque etiam rogo, ne quae vires meas superent, poscas, et si quid erratum aut minus adcurate traditum est, ut magis quae praestare voluerim, quam quae praestiterim, humanissime respicere velis,

Sectio I.

Inter artis medicae inventa, quibus medicorum, nec medicorum solum, sed et principum magistratumque attentio excitabatur, nihil sane majoris discriminis est, nihil ut animus acriter teneatur, magis efficere potuit, quam methodus illa, qua Variolae, morbus propter insignem hominum stragem, quam quovis anno edebat, perniciosissimus, coerceri ac penitus e politioribus terris excludi queant. Ex illo enim tempore, quo Ed. Jenner, medicus anglicus in ducatu Gloucestriensi ortus, insitionis Variolarum Vaccinarum mentionem moverat, suaque de hac re diligentissime instituta experimenta collectasque observationes divulgaverat, tanta erat animorum intentio, et tantopere invicem certabant omnium regionum medici, ut aut experimenta Jenneriana repeterent et de illorum praestantia sese redderent certiores, aut quid alii experiundo didicerent, colligendo ordinandoque scriptis vernaculis enuntiarent, magisque in publicam verterent utilitatem.

Quodsi vero ex umbra tam utilem humano generi vim Variolarum Vaccinarum occultante, in lucem meridianam inoculationem protraxit Jenner, ita quidem ut nequiquam is sim, qui immortale ejus de hac re meritum negare aut in controversiam vocare audeat: tamen, quoniam res ita obtulerat, non silentio praetermittendum est, tum in Britannia, tum in Gallia imprimisque in Holsatia ante Jennerum per multos annos jam vim illam salutiferam Variolarum Vaccinarum cognitam fuisse, qua qui morbo vaccino-variolo obnoxii fuerant, infectioni variolosae resistebant. Scilicet, in Angliae partibus occidentalibus, imprimisque in ducatu Gloucestriensi aliisque, prae laetissime virentibus atque ingentibus pecorum gregibus divitioribus, ultra hominum memoriam, morbum pecuarius cognitum fuisse constat, qui, ut Pearson admonet, homines interdum tentat et in eos transit, qui rus colunt, praecipue vero qui vaccis mulgendis inserviunt, denique et in fabros ferarios, qui ruri vaccarum morbos curant; nunquam vero, qui morbum huncce superaverant, Variolis afficiebantur, ita ut in proverbio esset haec in terris: „qui exanthemate, quo morbus vaccino-variolosus sese prodit, laborarunt aut post fortitum infectionem aut post inoculationem factam, a Variolis, quod metuant, nihil habent.“ Ita etiam, quod nullam omnino dubitationem relinquit, Plett, magister quidam Holsapiae, anno 1791 tribus liberis, Variolas Vaccinas prospero cum eventu iniecit; (Schleswig-Holsteinscher Provinzialbericht v. Jahre 1815 S. 77) sed, quod sane dolendum, in hoc uno conatu, acquirere

neque iterum ab eodem hujus modi suscepta sunt experimenta.

At, dum verum quid, aut quacunqne ratione impugnatum, aut tranquille procedens, animos somno excusserit, hominum ubique intentionem in se converterit et, praeconceptionibus refutatis remotisque probatum, omnium tulerit plausum, haud raro aetas effluxit. Quid mirum igitur, quod res tam diu cognita atque probata, quae tot tantamque generi humano affert utilitatem, non prius medicorum animos erigeret atque acrius occuparet? Sicut enim attractio, gravitatio aerisque elasticitas, quae quoque temporis momento sub sensu cadunt, Toricelli requirebant et Newton, qui exponeret: ita etiam Jenneri opus erat, ut essentialia Variolarum Vaccinarum phaenomena earumque ad Variolas coerendas praecavendasque vis salutifera, diligenter inquirerentur atque illustrarentur.

Multis per multos annos institutis experimentis, quum res omnibus comprobata esset, fieri mox debuit, ut non solum Europa, sed etiam omnis fere terrarum orbis hujus inventi agnosceret praestantiam. Quaecunqne de hac re divulgata erant, certissima praebebant, ultra quae nihil magnopere desideres, ad inoculationis fidem firmandam testimonia, ita ut nemo unus amplius dubitaret, quin Variolis Vaccinis insitis infectio variolosa praecaveri, imo Variolae — atrox illud hominum malum — coerceri atque funditus extirpari possent. A summis medicis omnium fere nationum maximo cum plausu cito excipiebatur insitio, neque supererant inter eruditos atque doctrina exultos, qui subdissent. Adversa-

riorum vox submissa evanescebat et Vaccinatio ab iis, qui ei diffidebant, magno eorum numero, qui morbo vaccino-varioloso obnoxii fuerant, neque Variolis unquam corripiebantur, justam reportabat victoriam. Quae cum ita fuerint, Variolarum Vaccinarum inoculatio in omnes fere Europae terras introducebatur. In dies usu firmata, firmiter insistebat ejusdemque vera meritaque videbatur laus et commendatio: ut, quicumque morbo vaccino-varioloso genuino laborarunt, per omnem reliquam vitam a contagio varioloso tuti reddantur atque securi.

Talis hucusque de Jenneriano invento in Germania saltem aliisque terris continentibus erat opinio. Longe alia vero in Anglia. Hac enim in terra, quum nusquam alibi vehementius crebriusque certatum esset de methodi hujusce praestantia et plures adversantium factiones opprimendae essent iis, qui problema illud experimentis firmarent sicut adversariorum impetus defenderent, — in Anglia, inquam, ubi tot tantique exstabant, qui assidue inquirendo perscrutandoque quam proxime ad veritatem accedere studerent, campus ille dexterrime faustissimeque peragrari ac lustrari debebat.

Itaque jam mature Anglorum studium observatione incitabatur permagni sane momenti, qua homines nonnunquam, quibuscum Variolae Vaccinae insitione communicatae erant, aut post fortuitam infectionem aut post inoculationem factam, Variolis corripì asseruntur, quae vero propter peculiaris sua non ad spurias Variolas referendae esse videbantur.

Inde ab anno 1800 Anglicae ephemerides, inprimisque illud Medical and Physical Journal, nobiscum ejusmodi communicabant observationes, quae vero, quum initio raro factae essent, neque medicorum ubique animos in se convertebant neque in Anglia ipsa sollicitos reddebant homines. Subinde autem, quum multis exemplis comprobata esset observatio haecce, praecipue in ea, quae Anno 1805 Londini grassabatur Variolarum epidemia, quo factum ut nonnulli magno timore perterriti, de Variolarum Vaccinarum salutifera vi desperarent, quamvis etiam longe plures homines earum insitione conservati erant: accidit, ut judicium adrem inquirendam constitueretur, quod vera referret. Sub finem ejusdem anni, re explorata, quae in cognitionem venerant, patefacta, summa inquisitionis in Monthly Magazyn Febr. 1806 p. 61 deponerentur. Qua in commentatione observationes tales confirmatas legimus, neque omnia dubitatur, quin qui, ut videri potest, Variolas vaccinas rite peritulerint, Variolis interdum corripì possint. Quod raro tamen fieri solet, et, si accidit, Variolae subsequentes neque eundem, quam verae Variolae tenent decursum, nec symptomata, Variolis propria, tam gravia praebent, ita ut vere mitigatae appareant. — G. Pearson de hac ipsa re, quae inquirendo cognoverat, anno 1806 pervulgabat. Raro tantum, inquit, inter omnes, quibus morbum vaccino-variolosum inoculavi, Variolis modificatis vexatos deprehendi; nequam vero negari potest, Variolarum vaccinarum insitione non semper deleri receptivitatem organismi pro contagio varioloso. Longe plures autem

inoculatione tuti conservantur ita ut horum ratio ad illos qui denuo Variolis corripiuntur, esse videatur ut 1 : 1000 et alio loco ut 1 : 5000. Insitioni imperfectae, ni fallor, culpam attribuit, quippe qui consilium a Bryce allatum valde commendat, quo iis iterum, qui morbo vaccino varioloso obnoxii erant, Variolae vaccinae inserantur, ut viderent, utrum receptivitas pro contagio varioloso deleta sit nec ne.

Quibus scriptis hucusque allatis, quum eo potissimum consilio in publicum prodirent, ut in vulgus agerent, animosque erigerent affictos, non satis de exanthemate Variolas vaccinas subsequente edocemur. Neque accurate ad Variolarum vaccinare rationem, genuinae ne fuerint, an spuriae, respexisse videntur, nec morbum ipsum, de quo agitur, diligenter descriptum legimus, ita ut nesciamus omnino, utrum Variolae fuerint an Varicellae.

Opus autem egregium illud Cel. Willan, anno 1806 exeunte foras datum, quaecunque in ceteris frustra quaesiveris, latius atque uberius tractata praebet. Vir ille indagandi observandique insignis ingenio, descriptionem nobis aptam atque explicatam largitur, nec non picturas Variolarum, morbo vaccino-varioloso insito, occurrentium; praeterea etiam disquisitiones atque expositiones graves de Variolarum vaccinarum aberratione quoad formam atque indolem. — Variolae, quas post Variolarum vaccinarum insitionem saepissime observavit, non solum quoad formam, ut arbitratur, quam proxime ad veras accedunt Variolas, verum etiam inoculatione Variolas producunt veras. Morbum ipsum vero, ut brevi-

bus dicam, ita descripsit, ut medici in futurum eum observaverunt, cujus infra pluribus mentio fiet. Adjunctae sunt operi Cel. Willan observationes permultae, a medicis totius fere Britanniae collectae de hoc ipso morbo, quas omnes afferre, quum re conveniant, ne longius procederem et dissertationis limites transgrederer, omisi.

Ut primum medicorum animi ad hanc materiam erant translati, plures undique non solum in Anglia, sed etiam pluribus Germaniae partibus nec non aliis Europae terris exstabant, qui observationes suas hujusmodi collectas, in publicam verterent utilitatem. Sed in Anglia, Variolarum vaccinarum inventrice, saepius obveniunt, quam usquam alibi, praecipue autem in illis, quae in Scotia haud raro grassabantur Variolarum epidemiis. Silentio tamen praeterire possumus omnes fere observationes, quae frequentiores in illo Lond. med. and phys. Jour. divulgantur nec non in ephemeridibus Edinburgensium, quippe quae non nisi Variolas interdum Variolas vaccinas insitas subsequi aperiant, decursu breviorum ac multo mitiorem, quam verae ostendentes. Descriptio mediocris ipsa morbi subsequens, fere semper requiritur, ne dum ut argumenta insitionis antecedentis perfectae ducantur.

Attamen Variolarum epidemiam, quae anno 1818 Edinburgenses invasit, non poteram quin, quum A Monro et Thomson illam descripserint et ab hisce observata non aliena putarem a nostra materie, commemorarem.

Clar. Monro in Monographia sua 1818 Edinburgi in vulgus edita, Variolas modificatas, quas apte describit, ex pustularum forma et toto

exanthematis decursu, ex inoculatione, qua veræ in adpectum veniebant Variolae, denique quia consanguinei non pari modo corripiebantur, quorum alii, morbo vaccino-varioloſo inſito, Varioloides, alii vero, quibuscum Variolae vaccinae nondum communicatae erant, Variolas veras nanciſcebantur, — non Varicellas eſſe aſſumant, ſed Variolas ipſas, inoculatione vaccino-varioloſa mitigatas.

Cel. Thomsen contra de ſententia, quam Monro fovet, longe decedit ſuamque aperit in Monographia anno 1820 Londini typis excuſa. Exanthema noſtrum, cujus ſaeppiſſime obſervandi ei obvenit occaſio, quamvis quidem non aliter depingit, quam ceteri, Varicellas tamen fuiſſe palam profitetur. Variolae, Varicellae ac Varioloides, — quam denominationem ipſe primum induxit, — ex uno eodemque, ut exiſtimat, originem trahunt contagio; at diverſitates, quas ſingula prae ſe ferunt exanthemata, nonniſi in febris antecedentis gradu et diuturnitate, in puſtularum copia, forma et indole, in ſtadium mora et ratione, denique etiam in febris ſecundariae praesentia vel abſentia quaerendas eſſe arguit.

Quid inſuper autem, quae in meam venerunt notiſſimam, aſſeram obſervationes in ſingulis libris, praecipue vero in ſcriptis periodicis memoriae traditas? Tot enim tum in Gallia, cum maxime in Germania evolarunt, ut ab earum magnitudine paene obruerent. Noluſi tamen id tempus, quod legendo excerptoſque conſuſeram, plane perdere. Quam ob rem, ſed diſertis tantum verbis, commemorare liceat auctores

qui huius modi obſervationes palam dederint, quas pluribus indicare, quum re noſ abhorreant ab iis, quas paulo infra deſcribere apud animum conſtitui, longum nec neceſſarium eſſet.

Inde ab anno 1803 prima manifeſta Varioloidum veſtigia apud Germanos deprehendimus, de quibus vero eadem fere valent, quae Anglicis nonnullis opprobrio dedimus. Primam copioſam nobis atque accuratiſſimam huiusce morbi deſcriptionem Mühry, aulae hannoveranae medicus, condonet anno 1809, quam, nec non quae Wendelſtadt, Stieglitz, Nolde, Rave, Albers, de Carro, Seiler, Oeltze, Kausch e. t. c. obſerverint, in diariis Cel. Hufelandii, hic illic diſperſa reperimus. Inter omnes autem quas Mühry divulgavit obſervationes eminent, tum diligentia quacum collectae, tum ſubtilitate atque perſpicuitate, quacum deſcriptae ſunt. Summam obtinent conſenſionem cum illis nobiſcum a Willan communicatis.

Practerea etiam Dr. Gittermann Variolas modificatas in illa, quae anno 1819 Emdenae graſſabatur, Variolarum epidemia, obſervatas in medium protulit (Hufld. Journ. 1821) nec non in commentatione ſua a ſocietate literarum Harlemſi praemio ornata, decurſum morbi et quibus praecipue Varioloides a Varicellis invicem recedunt, perite adumbravit.

De ea, quae anno 1823 Hamburgi ſaeſebat Variolarum epidemia Dr. Julius (Froriep. Notiz. Nr. 119) haecce profert: „Es habeu ſich genau, „wie es die Engländer beſchrieben, bei früher „regelmäßig von zuverlässigen Aerzten vaccinir- „ten Kindern ſogenannte umgeänderte Menſchen-

„blattern hiér bereits in mehr als 100 Fällen
„gezeigt.“ —

Certe me non fugiebat, in Dania inprimisque in Holsatia easdem fere observationes saepius factas esse; sed praeter illam Ill. Lüders (anno 1824. Altonae editam) ne ulla quidem specialis Varioloidum ibi occurrentium ad manus mihi fuit descriptio. —



Sectio II.

Tot tantisque observationibus omnino congruenter in Anglia primum, deinde etiam in pluribus Europae terris factis descriptisque, quas quantum fieri poterat, enumeravimus, extra omnem dubitationis aleam positum esse videbatur, quin Variolae nonnunquam post Variolarum vaccinarum insitionem in adpectum venirent, quae autem, morbo vaccino-varioloso antecedente, semper fere parem in modum modificatas mitigtasque sese praebant. Nam individua, quorum receptivitas inoculatione vaccino-variolosa omnino non deleta est pro contagio varioloso, Variolis quidem denuo corripí possunt, non tam gravibus vero et perniciosis, quam sine ulla inoculatione antecedente. Variolae tum exortiae, quamquam graviter erumpunt, quamquam verarum Variolarum signa prae se ferentes, insitione facta aut fortuita infectione, in alios transire et iis, qui nondum morbo vaccino-varioloso obnoxii fuerant, veras adferre possunt Variolas: diminutam tamen et, ut ita dicam, contractam for-

nam, decursum autem multo mitiorem exhibent. Anglorum diligentissimae atque accuratissimae investigationes, inprimisque collegii medicorum Londinensis ne suspicari quidem sinunt, atque pariter Cel. Willan, cujus indagandi observandique ingenio accuratior exanthematum cognitio floret, scriptis suis celebratur, cui quum assidue in morbis curandis versaretur, hujus etiam morbi saepissime tractandi obvenerat occasio.

At mihi ipsi etiam nuperrime Variolas modificatas sic dictas observare forte contigit. Viro Cel. Struve duce et auspicio, quum observationes in Anglia collectae divulgataeque me non fugerent, animum meum ad explorandum hunc morbum, inquisitione diligenti dignissimum, adverti. Quo in perscrutando non praecognita, quod fitmiter persuasum habeo, tenebar opinione, sed nonnisi repetita observatione persuasionem mihi certam vindicavi, quae eorum consensione confirmabatur, qui iterum ac saepius in aliis locis eadem observaverant.

Primum omnium igitur observationes meas cum Lectore benevolo communicare liceat, quas, quum hujus generis aegros nostra memoria frequentiores, vicies mihi, et quod excurrit, observandi tractandique esset potestas, qua fieri potuit cum diligentia ac cura institui.

Observatio prima.

Juvenis quidam XXI aetatis annum agens, amicum suum, Variolis modificatis laborantem, frequentaverat, et ipse pridie nonas Aprilis anno 1826 hisce corripiebatur. In pueritia morbo

vaccino-varioloso imbutus, perspicua adhuc institutionis vestigia in brachii cicatricibus ostendebat. Querebatur de stupore, capitis gravitate et sensuum hebetudine, sequentibus aestu ardentissimo, siti ingenti et virium jactura. Cupiditate ciborum amissa, nausea et vomitus urgebant.

Nonae Aprilis. Post noctem inquietam status hicce perdurabat; dolores in faucibus, cephalalgia, vomituritio frequens et, vesperi febre exasperata, jectigatio et deliria accedebant.

VIII a. Id. Ap. Dolores faucium graviores, nausea frequens. Hodie mane maculas rubras vidi, parum supra cutim elatas nec facile a rubra reliqua cute distinguendas, quae primum in manibus atque antibrachiis in conspectum veniebant. Stigmata ipsa magnitudine erant gravi milii, dura et attrahendo dolorifica. In facie, ubi mox apparebant, praecipue in naribus et in palpebra superiori sinistra, conferta atque in singulis catervis accumulata; in extremitatibus autem et reliquo in corpore, pudendis exceptis, discreta erant. Ne comata quidem capitis pars immunis erat atque ab eruptione libera. Febris mitis perdurabat, sed deliria et omnia symptomata praegressa evanescebant, praeter dolores faucium et oculorum satis tolerabiles; ardoremque cutis.

VII a. Id. Ap. Eruptio per omnino corporis superficiem dispersa et praesertim in facie crebrier. Stigmata singula majora apparebant satisque supra cutim elevata. Aderat tumor faciei, oculi rubefacti et palpe-

bris tumidis clausi. Odor ore editus peculiaris erat, fastidioso-subdulcis.

VI a. Id. Ap. Maculae pustularum forma magis magisque elevatae, rotundiores erant atque acuminatae, quarum majores liquorem continebant clarum, tenuem, subflavum. Halonès vivide rubri, orbiculati et spatia, quae intererant, rubella. Nonnullis partibus, praecipue in extremitatibus inferioribus eruptio nondum perfecta, sed hic illic alia sequebantur. Interioris oris, narium fauciumque partes plus solito rubescentes, tumescebant, ita ut deglutitio difficilis vel plane impedita et aegrotus spiritum ducere nisi ore aperto, nequirit.

V a. Id. Ap. Pustulae manifeste formatae, sed variae erant magnitudinis. Aliae acquabant piscum parvum semisecatam, jam foveola praeditam, quae in facie praecipue et pectore adparentes, impletae erant humore subflavo, orisque rubidis sed non latis cinctae. Pruritus efficiebant fere intolerabilem, quo fiebat ut fricando nonnullae rumperentur; ruptae vero difficile denuo sese implebant. Aliae contra et major quidem pustularum copia, acus capite non erant majores et in manibus praesertim collocatae. Hae minores fere omnes humore vacuae.

IV a. Id. Ap. Pustulae inprimisque in facie humore plane repletae. Majores, octavam fere digiti partem complectentes, adstrictae, expansae, sphaeroides elatae, liquorem crassum puri simillimum continebant; minorum vero major numerus, humore vacuus, in

suppurationem non abibat, sed nodosus, verrucosus permanebat.

III a. Id. Ap. Subflava pustularum superficies in crustas transibat, dum aliae adhuc suppurabant, aliae contra ne repletae quidem, durae, verrucis similes persistebant. Tumor faciei diminutus, pustularum ambitus pallidior et deglutitionis molestiae satis tolerabiles.

Prid. Id. Pustulae majores faciei et pectoris omnes fere crustis fascis obductae, quae in nonnullis locis jam solvebantur. Paucae adhuc pustulae parum puris spissi continebant. Inter minores, plures verrucis similes, cum apice incrustata cognovimus.

Id. April. In facie jam omnes delapsae erant crustae et Variolae siccae, in caeteris partibus nonnullae tantum. Major vero pustularum numerus, quod jam monuimus, non suppuraverat, quarum aliae in apice solum crustarum vestigia ostendebant, aliae vero et plures quidem, humore omnino vacuae.

XVIII a. Cal. Maii. In reliquo etiam corpore crustae majori ex parte solutae. Quibus delapsis ubique per aliquod tempus maculae parum elevatae, subrubrae, prurientes, tanquam cicatrices remanebant, ita ut superstitie colliculo, tota corporis superficies manibus attractantibus iniqua esse videretur.

Nimis longum nec necessarium esset, si omnes ex ordine a me observatos enarrem casus, praesertim quum e quidem decursum Varioloidum, in singulis insuper morbi descriptionibus sat superque iustratum, ab eo, quem nunc ipsum

adumbravi, genere diversum nunquam observaverim. Quaecunque vero, quoad exanthematis nostri eruptionem ejusdemque moram, memoratu dignissima in nonnullis mihi casibus obvenerant, quantum pro temporis et spatii angustiis fieri potuit, hic breviter subnectere, apud animum constitui.

Observatio secunda.

Juvenis quidam, XIX aetat. annum agens, in pueritia morbo vaccino-varioloso imbutus, et ita quidem ut insitionis vestigia parum perspicua adessent, XVI ant. Cal. Mart. a. 1826 Variolis modificatis corripiebatur. Febre ardentissima per triduum persistente, quum prodromi vehementer urgerent, exanthema in manibus primum erumpebat. Quae cum fierent, febrem adhuc mitem non ignovimus. Omnia fere stigmata in pustulas abeuntia, ita ut in extremitatibus pauca tantum, quod de inferioribus praecipue valet, verrucis haud dissimilia permanerent, — celerius, quam fieri solet, siccescebant; quo facto praecocius etiam morbus decurrebat, quippe qui XI diebus praeterlapsis evanescebat.

Observatio tertia.

Puellula quaedam VI annos nata, Variolis vaccinis ante annum superatis, inoculationis vestigia perspicua ostendebat, Nonis April. a. 1826 iisdem fere molestiis, quas supra tetigimus, vexabatur, statu quodam ac fixo ordine semet excipientibus. Febris, deliria, nervorum distentio-

nes cum vomitibus, postquam exanthema in manibus facieque simul eruperat, silebant. Pustularum copia parva, et in facie sex tantum conspiciebantur; in reliqua corporis superficie, quae aderaut, non ita distincte formatae, ut in facie, plerumque verrucosae. Celeriore exhibebat morbus decursum, quam ullo alio in casu; elapsis nempe IX diebus nil nisi maculae cum sensu cufis acutiori junctae supererant, quae vero post aliquot dierum spatium evanescebant.

Observatio quarta.

Juvenis quidam XVI an. agens, in pueritia, ut mater aiebat, Variolis vaccinis inoculatus, cicatrices visu difficiles praebat. Quarto id. Novbr. Variolis modificat. aegrotabat. Primum stadium ternis diebus comprehensum, eruptionem praecedebat, gravioribus symptomatibus stipatum. Insignes erant nervorum distentiones, epileptici nempe insultus ad exanthematis usque eruptionem persistentes. Eruptione incipiente, febris ardentissima, deliria ferocia cum omnibus symptomatibus, praeter saucium laryngis affectiones, desinebant. In manibus primitus quae magno in numero surgebant, stigmata fere omnia suppurabant et, quod raro fit, in facie plura verrucis simillima persistebant. Quibus nunquam vidi melius exformatas pustulas neque plures; nam nulla fere corporis pars libera erat ab eruptione, et in nasi facie interna tanta erat copia, ut aegrotus non nisi ore aperto spiritum ducere posset. At hoc etiam in casu febris suppuratoria frustra quaerebatur. Tertium stadium cum sup-

uratione orsum, tardius finiebatnr, quam exsiccatio; omnis autem exanthematis decursus moram ad XII dies extendebat, et maculae rubrae, quae remanebant, post duas fere hebdomades oculis cerni non poterant.

Observatio quinta.

Juvenis quidam XXI annos natus, in pueritia contagio vaccino-varioloſo inoculatus, cicatrices inſitione antecessa acceptas tales ostendebat, ut, si ex iis in perfectam concludere liceat vaccinationem, hae, supra quae nihil magnopere desiderares, morbi vaccino-varioloſi genuini praebuissent testimonia. Nihilb secius vero octavo Cal. Decbr. a. p. Variolis modif. corripiebatur, et ita quidem, ut prodromi vehementissime eodem vigore per triduum morarentur. Post exanthematis eruptionem, quum symptomata praegressa decreſcerent, febris adhuc mediocriſ manebat. Stigmata, quae in manibus primum et nulli parti parcentia, praecocius quam fieri solet, reliquam in corporis superficiem dispersa conspexi, omnia fere in pustulas abibant, ita ut nonnisi in extremitatibus verrucis simillimos deprehenderim colliculos. Morbus ipse tardioſem, quam aliis in casibus exhibebat decursum; nam quatuordecim dierum spatio terminabatur. Maculae, quae in facie praecipue remanebant, post mensem omnino non evanuerant. —

Antequam nunc de ratione Varioloidum ad Variolas, nec nou de signis, quibus invicem illae a Varicella recedunt, dico, liceat mihi in continuo indicare morbi decursum imaginemque

exprimere, quam [de hoc exanthemate animo concepi.

Variolae modificatae*) a Cel. Thomson Varioloides dictae, iisdem fere semper comitantur prodromis, quam verae. Nam eruptionem antecedunt nausea, vomitus, jactatio, cephalalgia, saepe in deliria transiens. Febris generatim accenditur frigore aut, horribus orsa, in aestum intestinum abit, cum siti valida, pulsibusque creberrimis, depressis et irregularibus. Somnolentia accedit, praecordiorum oppletio, pavor, atque in teneris debilibusque hominibus nervorum distentiones, eclampsiae et epileptici ad exanthematis usque eruptionem persistentes. Sternutationes vero in Variolis veris fre-

*) Scriptores varii varia huic morbo nomina, nonnunquam alienissima, indere studuerunt. Sic Clar. Kausch et Hufeland illum Varicellam vaccinicam appellavere; quam denominationem, quum exanthemati, de quo agitur, nonnisi mitis et plane tutus decursus cum Varicella communis sit, contra vero, ut ex iis patebit, quae modo disseram, quoad indolem et symptomatum seriem peoxime ad Variolas veras accedat, rejiciendam puto. Neque minus nomen Variolae vaccinae, quod Gittermann effinxit, transponendum, quum aliam morbi formam designet. Denique etiam denominatio Varioloidum a Thomson usurpata ad morbum huncce designandum, ut mihi quidem videtur, nuncupationi Variolae modificatae postponenda, quippe quae maxime idonea atque aptissima sane ad exanthematis, quod describimus, naturam indicandam.

quentes et nonnisi cum eruptione cessantes, nunquam adsunt.

Tertio plerumque febris paroxysmo remittente exanthema in adspectum venit, sed febris statim cum eruptione omnino non cessat, quamquam graviora silent symptomata praegressa. Quare cum Dr. Lüders, qui in commentatione sua de Variol. modifict. p. 105 dicit: „Das Fieber schwindet mit dem Ausbruch des Exanthems gänzlich“ minime consentire possum, quum et ipse saepius contraria observaverim nec non Cel. Mühry in casu quodam, quem accuratissime in diariis Clar. Hufelandii descripsit, inter eruptionem mitiorem deprehenderit febrem. Quo ardentior est febris eruptionem antecedens, eo praecocior eoque crebrior eruptio. Quod vero non semper ita sese habet; saepe enim, febre vehementi praegressa, eruptio manca, et febrem modicam magna stigmatum copia sequitur. Solito stigmata in extremitatibus primum et praecipue in manibus nascuntur, unde paulatim in reliquam corporis superficiem disperguntur, ne comatae quidem capitis parti parcentia. Nonnunquam etiam, sed raro, in manibus facieque simul erumpunt et Dr. Gittermann Emdenae anno 1819 Variolas modifict. observavit, quae in facie primum, Variolarum more, pulicum punctiunculis haud dissimiles surgebant. Quod equidem vero nunquam adhuc vidi neque alias legi.

Per dies duo vel tres eruptio durat et ita quidem, ut in diversis corporis partibus non pari modo singula stigmata sint exformata. Accedunt nunc, sed interdum jam eruptionem antecedunt, membranae mucosae faucium, arteriae asperae

nec non tonsillarum affectiones, non aliter ac in Variolis, unde deglutitionis et respirationis molestiae, unde rauceo et tussis. Haud raro loquela adeo impedita est, ut per nasum loqui videantur aegri*). Nunquam vero partes affectae, quod in Variolis fieri solet, albis obducuntur crustis raroque salivatio urget. Oculi contra saepissime sunt inflammatione correpti tumidisque palpebris clausi; nemo unius tamen, ut comperimus, lamina unquam perdidit.

Eruptio initio punctiunculis pulicum similis, lanquide rubens; stigmata singula, ut noduli sub cuticula, orbiculata, attrahendo dura atque dolorosa. Sensim sensimque incrementa, elevantur et rubescunt; centrum prominens ambitu fit rubrius. Omnis omnino, quarto exanthematis die, perfecta est eruptio neque ulla amplius surgunt stigmata, sed quae adsunt magis magisque excoluntur. Accuminata albescere aut pallescere solent, ita ut tertio quartove post eruptionem die pustulae iam humore dilucido et subflavo repletae in conspectum veniant, oris rubidis tumidisque arcte cinctae, — lineae unius forsan latitudinem tenentibus. Quae quum fiant, febris supurationem comitans, verisque Variolis propria, frustra desideratur; quae observatio plane cum iis, tum in Anglia, tum in Germania collectis divulgatisque congruit. Halones mox vivide rubri, circa pustulas in extremitatibus collocatas,

*) Partes nasi internae nec non oris cavitas faucesque, Cel. Struve teste, pustulis saepius variolosis consitae sunt.

circulares, in ceteris autem partibus, ovatos conspicimus. Nec non spatia, quae intersunt, si pustulae numero satis sunt frequentes, praesertim in facie, subrubricunda apparent, nitentia et tumescentia; — sed minus perspicuae, quam veris in Variolis.

Pustulae satis elatae, extensae, orbiculatae, humore crasso et purulento repletae, ambitu rubro cinctae, octavam jam digiti partem in diametro tenent; pallor earum mutatur in flavedinem et humores cumulati spissi fiunt, tenaces, e flavo virescentes. Attamen non omnis in pustulae abit eruptio; longe major enim numerus, non ad suppurationem spectans, verrucis similis persistit talisque etiam siccescit.

Tria potissimum in suppurationis stadio, distinguimus genera:

- 1) pustulas majores pisi parvi semisecati formam prae se ferentes, in medio primum impressas; foveolam ostendentes, deinde purulento repletas humore, extensas et rubicundo ambitu cinctas;
- 2) medias conicas, duras, in apice tantum humorem continentes purulentum, rubro ambitu cinctas;
- 3) minores humore omnino expertes, verrucarum modo sub cuticulâ facientes, milii granis similes, subrubicundo ambitu cinctas, nullamque fere mutationem subeuntes.

Sexto septimove denique post eruptionem die crustae fuscae, corneolae, asperae procedunt, quae basi paullulum prominenti inhaerent. Quibus nono die solutis delapsisque, maculae rubrae, verrucosae leniterque prurientes ubique

fere remanent. Nullae vero in posterum cicatrices seu vestigia Variolarum praegressarum permanent, serius otius enim maculae ipsae omnino evanescent. Recessus macularum a pustularum magnitudine pendere videtur; quae enim de minoribus supererant pustulis, post aliquot dies oculis cernere nequibam; quas autem majores relinquebant, post mensem et quod excurrit, conspiciebantur.

Ad cetera, quae exanthema hocce insigne peculiareque reddunt, ultimorum potissimum stadiorum mora et ratio adscribenda sunt, quippe quae omni periculo vacua tam celerem exhibeant decursum. Haecce fuere forsau, quibus nonnulli commoti, morbum, quem cum maxime adumbraui, Varicellas esse judicarent. Nam quaestio, utrum species sit Variolarum, an Varicella ipsa, saepius jam posita, sic in publicum prodibat, ut alii hanc, alii illam foverent opinionem. Ad illos autem, qui ultimam tueri videntur sententiam, Kausch referendus est; quamvis abhinc nonnullos annos ad contrariam fere inclinabat, quod ex ipsius memorabil. p. 268 nec non ex diariis. Hufslund. 1820 luculenter elucet. Nec minus Thomson in eandem discedit sententiam, quippe qui (vid. Edinb. med. and. surg. Jour. 1818 No. 56) inter Varicellas et Variolas modificatas summam statuat convenientiam. Denique etiam Cel. Heim (Horn's Archiv 7 B. 2 Hft. S. 183) exanthema illud a Willan aliisque medicis tum anglicis tum germanicis observatum non Varicellas fuisse negat.

Contra vero sunt et non pauci, qui oppositam obtineant opinionem, qua morbus noster non

Varicella sit, sed Variola ipsa, vaccinatione antecessa mitigata quidem ac modificata. Quamvis vero non is sum, qui controversiam hanc de re, quae in magna versatur varietate et dissensione, dirimere audeat, ita ut enucleationem et disceptationem libenter perscrutatori exquisita doctrina relinquam, cui hoc conveniat; tamen, quoniam res se mihi obtulerat, tacitus nullo modo praeterire poteram, quibus rationibus, ut crederem pro mea parte, adducerem: Variolas modificatas quoad formam et decursum prope ad similitudinem Variolarum accedere easdemque ex uno eodemque cum Variolis procreari contagio, quod, etsi praegressa vaccinatione imperfecta aliquatenus mitigatum atque modificatum, in omnibus tamen nondum morbo vaccino-varioloso correptis, Variolas rursus producere valet.

Argumenta ab experientia repetenda sunt, qua edocti haecce comperimus.

- 1) Prodromi Varioloidum iidem omnino Variolis esse solent, quoad symptomatum vehementiam ac rationem.
- 2) Stadiorum mora et ratio plane indicatae sunt et distinguendae; eruptio, suppuratio atque exsiccatio sese subsequentes tam diu ferre, ultimis stadiis exceptis, perdurant, quam diu Variolarum stadia.
- 3) Ordo eruptionis non alius est in Variolis modificatis ac in Variolis. Illae enim primitus etiam in facie, — ut Gittermann observavit, et manibus nascuntur nec tumor ille suberysipelatosus deest, qui faciem manusque deformat.
- 4) Forma pustularum summam praebet utrius-

que exanthematis similitudinem. Sunt enim pustulae Varioloidum orbiculatae, elasticitate gaudent, adstrictae expansaeque tactu percipiuntur huicque aliquatenus resistunt nec non foveola in majoribus saltem pustulis observari licet.

- 5) Lympha in pustulis collecta puri simillima est, purulenta, densa fit tenaxque et pustulae, quarum pallor sensim mutatur in flavedinem, obducuntur crustis crassis, duris et corneolis, haud secus quam Cel. Heim accurate de veris admoneat Variolis.
- 6) Varioloides uno eodemque tempore cum Variolis late vagantibus observantur et ita consanguinei corripuntur, ut alii, quibus Variolae vaccinae nondum insitae erant, Variolis veris; alii vero, qui morbum vaccino-variolosum pertulerant, Variolis modificatis tententur.
- 7) Willan, Monro aliique medici indagandi observandique insignes ingenio, saepissime experimento tanquam crucis instituto, traderunt, inoculatione cum materia facta, e pustulis Varioloidum sepromta, in iis, qui Variolas vaccinas nondum sustinuerunt, Variolas veras produci.

Tali modo Variolis modificatis sic dictis cum Variolis collatis, haud exiguam, ni fallor, inter utriusque exanthematis formam et decursum, similitudinem reperimus. Hisce perpensis, quae ad decursum morbi ejusdemque stadia, ad pustularum formam et indolem spectabant, si observationes insuper addamus a Monro aliisque nobis traditas, quibus sat luculenter morborum genesis

ex uno eodemque contagio elucet, omnis sane, quae movebatur de nostra sententia, sublata apparebit dubitatio. Sequentia vero, quicumque nihilo secius dubitent, mecum, quaeso, percurrant, quibus dissimilitudines manifestentur inter Varioloides et Varicellas.

- 1) Ante eruptionem status longe alius est in Varicellis, in Variolis modificatis alius. In illis vel nulla eruptionem antecedens observatur febris, vel febriliter laborant aegroti multo mitiore. Desunt omnino exempla, quae referantur de febre per triduum ardentissima aegros occupantem. His autem symptomata antecedunt fere semper tam gravia, quam in veris Variolis.
- 2) Ordo eruptionis alius est in Varioloidibus, alius in Varicellis. Illae enim primitus in manibus et facie, hae vero plerumque in omni fere corporis parte simul nascuntur.
- 3) Plerumque paucis horis, uno saltem die in Varicellis absolvitur eruptio, cum Varioloides tres dies ad id negotium poscant. His, tertio die eruptionis praeterlapso, nunquam aliae succedunt, illas autem solent, dum jam exsiccantur, aliae sequi.
- 4) Ad pustularum formam et indolem consilium transferatur:
 - a) pustulae, quae in Varicellis nascuntur, nulla fere gaudent elasticitate, molles sunt neque sponte unquam dirumpuntur; in Variolis modificatis contra durae observantur, elasticae saepeque sponte dissiliunt.
 - b) Verum pus Variolis sputis inesse plerique observatores negant, pustulae tenui et

- lacte repletae sunt humore, minime cum vero pure commutando. Humores vero puri simillimi, purulenti, lenti, spissi, tenaces cumulantur in Variolis modificatis.
- c) Crusta, qua pustulae obducuntur, in Varicellis rotunda et tenuis est; dura, crassa nec semper rotunda in Variolis modificatis.
 - d) Crustis delapsis macula rubra, quam Varicella interdum relinquit, non diu remanet. Quas Varioloides formant, saepius aliquot post hebdomades atque adeo post menses videri poterant.
 - e) Varicellarum pustulae fere omnes cicatrices per totam vitam relinquant; Variolis modificatis superatis, cicatrices non remanent.
 - 5) Variolae modificatae, ut a plerisque naturae scrutatoribus accepimus, quorum in numerum hic et praeter ceteris quidem, Gittermann adscribendus est, haud raro infantes, paulo ante Varicellis toleratis, invadunt. Ergo, si Varioloides nonnisi Varicella sint, ponamus necesse est, ut haec bis deinceps infantes illos tentasset; — id, quod hucusque nondum de Varicella compertum habuimus.
 - 6) Varioloides nonnisi eos, quibus Variolae vaccinae insitae erant, invadunt. Permirum igitur esse videatur, si Varioloides nostra sint Varicella, cur haecce Varicella eos tantum, qui morbo vaccino-varioloso obnoxii fuerant neque alios etiam tentat.
 - 7) Firmissimum sane, quod nullam omnino relinquit dubitationem de utriusque morbi diversitate, haurimus argumentum:

- a) ex insitione illa a Willan aliisque saepissime, ut supra monuimus, instituta cum materia ex pustulis Varioloidum desumpta, qua Variolae verae procreantur,
- b) ex observatione nobis a Dr. Gittermann tradita, quae puer quidam Variolis modificatis correptus, suam, quacum cubabat, sororem, cui Variolae vaccinae nondum inoculatae erant, inficiebat, ita ut haec, Variolis veris vexata vix mortem evaderet. — Tales in Varicella nondum cognovimus virtutes, et quamquam negari non potest, Variolis Varicellam tunc nonnunquam produci, cum materiam longe tardius quam debeat, ex pustulis Variolarum desumptam, quae sua omnino vi et efficiëntia privata est, aliis inserimus; — nunquam tamen contrarium subsequi accepimus, scilicet et Varicella Variolam excitatam fuisse. —

Ex hucusque allatis firma certe ad sententiam nostram probandam sumere possumus argumenta, ita ut equidem certo persuasum haberem, exanthema a me descriptum, non ad morbum illum apud auctores sub nomine Varicella occurrentem, sed ad Variolam ipsam referendum esse, quippe quod speciem constituat Variolae, et Variolas vaccinas, quibus antecessis mitigatur et modificatur, propinqua contingat conjunctione.

In hoc, et in hoc potissimum positum est inter Varioloides et Variolas discrimen. Sunt enim illae, quoad decursum et omnem symptomatum seriem, mitiores, quod insitioni tantum Variolarum vaccinarum tribuendum; quaecumque in Variolis observantur, in his non frustra desideres,

— sed comminuta, collecta contractaque in conspectum veniunt. Stadia singula plane indicata sunt et distinguenda, non aliter ac in Variolis; sed, quod praecipue de ultimis valet, in arcum contracta, breviate; praeterea febris secundaria, suppuratoria sic dicta deest.

Quae si respicias, modificatum apparebit exanthema; mitigatum vero, si periculi, quod nullum omnino organismo nostro impendet, habeas rationem.



Sectio III.

Jam exhibita Varioloidum descriptione, quum pro virium mearum modulo symptomata, quae ipsis maxime peculiaria esse solent, quibusque etiam Varioloides a Varicella disjungendae sint, quae ita proxime ad Variolas accedunt, ut ad has jure referre liceat, aperirem: autem omnia nunc exponendum erat, qui fiat, ut morbo vaccino-varioloso inuito, Variolis modificatis sic dictis homines nonnunquam corripantur, praecipue quum, quod multorum annorum adfirmat experientia, Variolarum Vaccinarum vis salutifera, qua Variolae coerceri atque averti possint, neutiquam in dubitationem amplius vocanda esse videatur. Quae sane difficilior tractatus mei pars eo minus omitenda erat, quo diligentiore considerationem mereri videbatur et, quo majoris erat momenti ad firmandam nostram supra allatam opinionem.

Quodsi vero, qui quam proxime ad veritatem accedere studeamus, id quod quaerimus, dissolvere volumus, praeteris de omni Jenneriani inventi dignitate nos certiores reddamus

oportet. Pendet autem illa e veritate problematis, quo, qui morbo vaccino-varioloso genuino laborarunt, beneque succedente, nihil quod metuant a Variolis unquam habere asseruntur.

Observationes quidem inde a primis inquisitionis Variolarum vaccinarum temporibus usque ad hodiernum diem, a viris, quorum numerosi uberesque exstant inque omnium manibus versantur commentarii, collectas accepimus, quibus probatur: morbo vaccino-varioloso genuino infectionem variolosam penitus deleri, hominesque qui hocce morbo laborarunt, per omnem reliquam vitam a contagio varioloso tutos reddi atque securos.

At haud parva est observationum copia, a perstrutatoribus exercitatissimis summi que ingenii nobiscum communicatarum, quae in contrariam partem allatae confirmant: eos interdum, qui olim Variolis vaccinis genuinis aegrotaverint, Variolis obnoxios fuisse. Quae quidem opinio, quamquam, ut modo elucebit, infirmata est, tamen et habet, quo sese tueri possit. Praeter observationes enim supra allatas, quibus nequam fides deneganda, praesertim quum novissime et nostris regionibus, et maxime in Aeglia hujus generis aegri frequentiores essent, — Variolas posse post Variolas vaccinas oriri, sequentia adhuc innuere videntur.

1) Observatio illa, qua Variolae vaccinae iterum inoculatae hominibus, qui olim morbo vaccino-varioloso obnoxii fuerant, sese efficaces praebuere, pusulas vaccino-variolasas gignendo. Hujusmodi observationes memoriae proditas invenimus multas in commenta-

rio de Variolis vaccinis a. C. G. Kühn scripto, deinde in commentariis diurnis a Cel. Hufeland confectis, in quibus casus huc spectantes D. Gittermann et Hegewitsch publici juris fecerunt. Hisce denique observationibus illud a James Bryce' Edinburgi allatum renovatumque a Pearson consilium: unumquemque Variolis vaccinis jam vexatum, aliquo tempore praeterlapso, iterum inoculare, ut ex eventu eluceat, an receptivitas pro contagio varioloso deleta sit, nec ne.

In omnibus autem, ab adversariis, ut hujus remedii prophylactici vanitatem evincant, allatis, argumenta frustra quaeruntur tum de inoculationis primae, cum secundae decursu regulari, nec satis accurate, qui talia exempla protulerunt, ad Variolarum vaccinarum rationem, genuinae ne fuerint an spuriae, respexisse videntur.

- 2) Observatio illa, quae testimoniis comprobatur non negandis, Variolarum verarum bis in eodem homine recurrentium. R. Vieussens in hist. des malad. intern. T. 1 p. 64; S. de Capello in Harlem. Verhand. T. VIII p. 209 Gualt. van Doeveren ib. T. XII p. 192 et Tod. biblioth. T. 1 p. 36 P. J. Hartmann in Haenji rat. med. P. IX p. 267 Th. Meza in compend. med. pract. fasc. 1 c. 21 -- recursum Variolarum confirmant. Praeterea Dr. Friese (über die Kuhpockenimpfung in England 1809) plura hujusmodi exempla ex anglicis scriptoribus commemorat et in Il. Richter's bibliot. chirurg. historiam octo medicorum testimoniis firmatam legimus, qua Variolarum reditus manifestatur. Denique Bur-

serius ab Kanilfeld in instruct. ad exanthem. cognosc. curandaque T. 1 p. 131: „scimus enim, inquit, experientia edocti medicorum excellentissimorum, qui spectata fide multum auctoritate valent, interdum homines, qui olim Variolas veras sustinuerant, parvo saepe intermisso temporis spatio, iis iterum tentatos fuisse; unde aperte sequitur aut receptivitatem pro contagio varioloso non semper Variolis semel toleratis deleri, aut illam pro his iterum nonnunquam excitari.“ —

Quae exempla de Variolarum recursu, quorum viginti fere ex omni hominum memoria collegi, etsi reliqua omnia dubia sint aut alio modo exponenda, suspicioni et dubitationi locum non relinquere videntur. Quid est caeterum, cur Variolarum recursum a priori negemus, quippe qui in aliis exanthematibus saepius observatus, ne mirabilis quidem?

- 3) Observatio denique summi momenti, qua homines, qui morbum vaccino-variolosum superaverant, si in futurum Variolis corripiebantur, alios etiam nondum Variolis vaccinis inoculatos, infecerunt aut inoculatione facta, aut fortuita contagione, ita ut in his verae in adspicuum venirent Variolae. Cel. Willan, Monro, J. Cross e. t. c. saepius tales insitiones cum successu insituisse, jam monuimus, casumque etiam a Gittermann promulgatum, supra tetigi.

Ex quibus ad conjecturam coacti, exanthema quidem Variolas vaccinas subsecutum, Variolas fuisse veras, veris saltem simillimas, statuamus oportet; — sed, Variolas vaccinas praegressas

fuisse genuinas, beneque successas, inde neutiquam sequitur.

Attamen, hisce perpensis, quae sola, dum modo valeant, inventum Jennerianum irritum reddere et possint et debeant: si ex altera parte omnium inter duodetriginta annos de vi salutifera Variolarum vaccinarum, Variolas averteute, memores sumus observationum, quas, quicumque quaerant, multas et uberes invenient in annis majorum civitatum indicis: — si porro in memoriam revocamus diligentissime inde a primis inoculationis Variolarum vaccinarum temporibus instituta experimenta, quibus homines, Variolis vaccinis inoculati, frustra contagio varioloso insito tentabantur; — postremo si nobiscum in animo reputamus, quot quantaque, nostra memoria, ex Variolarum vaccinarum vi et efficacitate redundasse commoda in Variolarum epidemiis, in quibus, quod illarum solum insitioni tribuendum, millia hominum conservabantur milliaque intacta reddebantur atque secunda: quid est, quaeso, quod amplius ad vim Variolarum vaccinarum concedendam desideretur, qua Variolas avertere possint? Nonne his gravioribus jam adducti causis, vim illam Variolis vaccinis adscribemus, quae neque convelli unquam nec laefactari possit? Putasne forsitan exceptiones speciosas, quae veritatis speciem prae se ferentes, raras tantum obveniunt si comparaveris cum contraria probantibus, ad evertendum jam sufficere? An mecum potius Varioloidum praesentiam non in inoculationem rite institutam recteque succedentem congerere, sed aliis ex causis derivare placet? —

Quodsi enim attente respiciamus casus, in quibus homines Variolis modificatis correpti assentur, qui olim morbo vaccino-varioloso, ut

ajunt, genuino obnoxii erant, mox animadvertimus neque accurate semper Variolarum vaccinarum decursum ab iis, qui talia proferunt exempla, describi, neque argumentis unquam sufficientibus earum indolem probari genuinam. Individua quidem Variolis vaccinis inoculata esse dicunt, sed ad earum rationem, genuinae ne fuerint, an spuriae minime respexisse videntur, quo fit, ut morbi vaccino-variolosi genuine praegressi frustra quaerantur testimonia. Inde prorsus dubitavimus, quin, quibuscum Variolae vaccinae genuinae insitione communicatae erant et ita quidem ut bene succederent optatumque exhiberent decursum, Variolis unquam neque veris neque modificatis tentati fuerint.

Dr. Rave quidem anno 1810 in contrariam partem adtulit exemplum, quo, quod nunc ipsum diximus, subverti videatur; sed tantum abfuit, ut meam ille sententiam moveret, ut potius exemplo hocce confirmari putarem. Quae vero observatio in commentariis diurnis a Hufeland confectis anno 1812 hisce describitur verbis.

„Antonius Rave, infans octavum annum agens, die V. a. Cal. Jul. a. MDCCCL a Dr. Rave inoculatione accipiebat variolas vaccinas. Contagium vaccino-variolosum, ob praeclaram indolem, ex pustula infantis alius, nomine Funke, die XVII a. Cal. Jul. inoculati, desumptum, illi-co per cutem leviter strictam inserebatur, sex ictibus quoque in brachio factis. Inoculatio bene succedebat; ita ut opportuno tempore nunquam in alio, in alio quatuor in adspertum venirent pustulae. Die octavo ad febrem vomitus, tumor dolorque glandularum axillarum accedebant; pustulae rubro tumidoque circulo cinctae, et tu-

mor ad cubiti usque articulum diffusus apparebant. Decem fere diebus inde ab inoculatione praeterlapsis, triginta maculae rubrae in reliqua corporis superficie erumpent. Inisationis locus suppurabat et duris fuscisque crustis obductus siccescibat. Vestigia inoculationis quae remanebant, medicus nonnullos post menses videre potuit; postero vero puerum e conspectu amisit. Cal. Martii a. 1810, quo Ramsdorffii Variolae saeviebant, A. Rave his corripiebatur. Febri cum vomitu praegressa, exanthema tertio quartove die per totam corporis superficiem pervadens, in conspectum veniebat, quod satis elatum inque suppurationem abiens, siccescibat et, crustis delapsis, cicatrices relinquebat. Sic ille, qui Variolas vaccinas sustinuerat genuinas, Variolae correptus, ita graviter periculoso morbo vexabatur ut vix mortem evaderet.

Qui casus, — neque ullus hoc accuratius traditus in promptu est, — si Variolas subsecutas primum respicias, quibus vita in summum vocabatur discrimen, in suo genere sane singularis apparebit, quippe qui Anglorum Germanorumque omnino repugnet observationibus. Nam quantum legendo observandoque comperimus, Variolae quae nonnunquam post Variolarum vaccinarum inisationem exoriuntur, mitigatas sese semper praebuere, eoque magis, quo minus Variola vaccina antecedens a regulari suo decursu recedebat. Hic contra, inoculatione bene successa, optatimque exhibita decursum, Variolae tam vehementer saeviebant ut morti fere succubisset aegrotans. Caeterum descriptio Variolarum sequentium, quod sane summi est momenti, plane requiritur ita ut jure quaeratur, fuerintne Variolae an potius Variellae. Deinde, an Funke, cujus ex pustu-

la lymphae desumebatur, Variolas jam veras sustinisset, non aperitur; in Helvetia ejusmodi casus complures patefacti sunt, quum Odier perincommodum talem in lympham incidisset. Tum Dr. Rave non prius quam die nono ex pustulis jam rubro cinctis holone, ad inoculandum desumerat materiam; — quod minime praetermittendum, quum inter sextum et octavum diem lymphae apte sumenda est, quo liquida adhuc, caerulea nec puriformis prodit. Denique, quod hoc in casu gravissimi esset argumenti, ex pustulis illius A. Rave non aliis insitae sunt Variolae vaccinae.

Tali modo et in aliis omnibus, ni fallor, multo facilius quam hocce in exemplo aperire possemus, quam imperfecte, quam vitiose Variolarum vaccinarum decursum adumbraverint, qui observationes suas de Variola post Variolam vaccinae occurrente protulerunt. Documenta, quibus morbi vaccino-variolosi antecedentis indoles genuina et decursus regularis probari possint, nusquam invenimus. Discreparem igitur cum Cel. Kausch, qui in memorabilibus suis T. III p. 298 haecce profert: „die Vaccine ist als Regel vollständig schützend gegen die natürliche Blatter und nur in seltenen Fällen der Ausnahme erfolgt nach ihr eine Varietät der natürlichen Menschenpocke, modificirte Blatter, mit einem leichten, nicht lebensgefährlich Verlauf“ — sed, — donec pluribus accuratiusque nobiscum communicatis adducor observationibus, ut in oppositam discedam sententiam, — statuum: Variolas vaccinas genuinas rite inoculatas beneque succedentes semper planeque contra Variolas tueri.

Quomodo tandem, quum res ita sese habeat, Varioloidum praesentia commode erui et potest et debet?

Causa, qua Variolis vaccinis superatis, Variolae procreantur, ut mea fert opinio, aut eo nititur, quod receptivitas organismi pro contagio varioloso in quibusdam hominibus, olim quidem Variolarum vaccinarum insitione extincta, interjecto tamen tempore redire possit; aut eo, quod receptivitas haecce jam initio non funditus deleta sit.

Sententia prima, quamvis quidem, ut modo patescet, diluta est, tamen et habet, quo sese tueri possit. Observationem enim sequentem, non ab artis medicae gnaro quidem collectam, a viro tamen locuplete beneque erudito in Comment. diurn. a Hufeland confectis (Vol. 54 Jan. 1821) divulgatam legimus,

„Anno 1802 cuidam Elberfeldi, quo tunc Variolae grassabantur, medicus quidam, nomine Dimel, Variolas vaccinas inoculavit. Expectationi insitio respondebat et, febre exorta novemque diebus praeterlapsis, pustulae vaccino-variolosae optime exformatae in adspicuum veniebant. Praeterea sex infantes cum materia ex hisce pustulis desumpta, inoculati, morbum vaccino-variolosum accipiebant, et ille ipse multos postea Variolis correptos frequentabat neque his unquam inficiebatur. Timore vero percussus, ne in temporum decursu et receptivitas pro contagio varioloso rediret, insitionem quotannis iteravit. Anno igitur 1805, 6, 7, 8, 9, 10 et 11 contagium vaccino-variolosum sibi iterum inoculare curavit, sed frustra. Anno 1812 autem, experimento repetito, morbus vaccino-variolosus exortus, non

aliter ac anno 1802 Elberfeldi decurrit, quo factum, ut sedulo inoculatione renovata, septies iterum inocularetur. Sexies sine ullo effectu; septimo vero anno, pustulae denuo erumpebant, quae tamen non satis exformabantur.“ —

Opinionem allatae, — qua Variolarum vaccinarum insitio Variolas non per totam vitam avertat, sed per certam annorum seriem, — major eorum repugnet numerus, qui morbo vaccino-varioloso olim obnoxii, ab infectione Variolarum tuti remanebant atque intacti. Quid? an tu existimas receptivitatem pro contagio varioloso nunquam tantum exstingui vaccinatione rite instituta beneque successa? Eguidem vero nisi inoculatione ipsa vitiose aut suscepta aut progressa, Variolas rursus erupuisse, haud crediderim. Praeterea sententia de vi Variolarum vaccinarum salutifera, aliquamdiu tantum contra Variolas valente, non casibus convenit, in quibus, quum inter epidemias contagio vaccino-varioloso imbuti, Variolis modificatis corripentur, insitionis tempus nihil agere videbatur, ita ut, qui jam dudum Variolis vaccinis inoculati erant, pariter ac infantes ante breve tempus Variolas vaccinas superati, tentarentur.

Clar. Thomson: „ne ullus quidem mihi, inquit, manifestus est casus, qui sententiam: Variolarum vaccinarum vim, temporis progressu, labefactari aut tolli, confirmare possit; contrario praesenti in epidemia parvuli praecipue, nondum decimum annum confecti, corripiebantur et senectute receptivitas pro contagio varioloso comminui videbatur quippe quam omnes fere proveciores aetatis intacti permanerent.“ — Denique quo tempore inventum Jennerianum Holsatorum

animos acrius occupabat eosque in Variolas vaccarum convertibat, hac in terra nonnulla hominum exempla allegari poterant, qui, quum ante XXX usque LX annos morbo vaccino-varioloso correpti, neque unquam Variolis vexati essent, firmissima ad illarum vim probandam dabant testimonia. Saepius Jenner Variolas inoculavit hominibus, qui ante longum tempus Variolis vaccinis infecti erant nec efficacem sese unquam praebuit talis inoculatio.

Itaque in secundam transire coacti sumus sententiam, qua Varioloidum praesentia nonnisi in Vaccinatione vitiosa quaerenda est. Quod si enim perpendemus nobiscum in animo, quam facile vaccinatio, tum lymphæ ad insitionem adhibita, tum individuo inoculando, incerta saepe et parum tuta reddi possit; (vid. Lüders pag. 144 — 161) praeterea si consideramus Variolarum vaccinarum insitionem, quam aspere nunc universe tractatur, quippe quae majori ex parte in circulatorum manibus parum scite medicinam exercentium, versetur, qui vix ac ne vix quidem regularem morbi vaccino-variolosi genuini decursum cognoscant, nedum ut ejus varia et multiplicia discernant: non erit, quod amplius miremur, unde organismi pro contagio varioloso receptivitas Vaccinatione tam saepe non exstinguatur. Verum enim vero, etsi vaccinatione imperfecta corporis facultas Variolæ accipiendi, auferri non potest, in omnibus tamen casibus haec ipsa jam tanquam ad receptivitatis partem tollegendam suppeditat, quippe quum Variolæ postea exorientes multo mihiorem prae se ferant characterem.

Inde etiam satis perspicuum erit, quo factum, ut in Britannia et tam frequentes et maturius

quam usquam alibi Variolæ modificatae deprehensae sint. Hac enim in terra Vaccinatio majori ex parte negligentissime tractatur, hujusque petulentiam turbasque John Forbes copiose exprimit, dicens: in publicis, quae Variolis inserendis destinata sunt instituta, Variolis vaccinis inoculati, raro post insitionem apparere solent, ita ut earum decursum artis peritus observare nequeat; et privata vaccinatio omnino fere in circulatorum anuumque posita est manibus.

At vero apud nos proh dolor! non multo meliore loco est illa, ruri praecipue, ubi unius horae decursu centum homines morbo vaccino-varioloso insiti, proxima hebdomade eodem brevi tempore inspicuntur.

